

quidem amicitiae videtis, nisi quid ad haec forte vultis. *Fann.* Tu vero perge, *Laeli*: pro hoc enim, qui minor est natu, meo jure respondeo. *Scaev.* Recte tu quidem: quamobrem audiamus.

*Lael.* Audite ergo, optimi viri, ea, quae saepissime inter me, et Scipionem, de amicitia disserebantur. Quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat, quam amicitiam usque ad extremum vitae diem permanere: nam, vel ut non idem expediret utrique, incidere saepe; vel ut de republica non idem sentirent. Mutari etiam mores hominum saepe dicebat, alias adversis rebus, alias aetate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis: quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta ponerentur: sin autem ad adolescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione [vel uxoriae conditionis, vel commodi alicujus, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia proveci essent, tamen saepe labefactari, si in honoris contentionem incidissent. Pestem enim majorem esse nullam in amicitias, quam in plerisque pecuniae cupiditatem: in optimis quibusque honoris certamen, et gloriae; ex quo inimicitias maximas saepe inter amicissimos exstitisse. Magna enim dissidia, et plerumque justa nasci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur: ut aut libidinis ministri, aut adjuutores essent ad injuriam. Quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, jus tamen amicitiae deserere arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent: illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri, omnia se amici causa esse facturos: eorum querela inveteratas non modo familiaritates extinguere solere, sed etiam odia gigni sempiterna. Haec ita multa, quasi fata, impendere amicitias, ut omnia subterfugere non modo sapientiae, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.